

quem vult, etiamsi auxilia in sua entitate majora non conferat illi quem sic vocat.

40. *Ultimum Augustini testimonium exponitur.* — Solum ergo ultimum Augustini testimonium, ex 2 de Peccator. merit. et remiss., cap. 17 et sequentibus, indiget aliqua expositione; nam ibi rationem diversitatis inter alios vocatos, quorum unus consentit, et alius resistit, inde sumere videtur, quod in altero eorum aliqua major cognitio vel delectatio præcedat. Responderi autem potest imprimis Augustinum reddidisse rationem moralem, ex his quæ frequentius accidunt, non quæ in rigore semper necessaria sit. Deinde dici potest Augustinum vocasse *certam scientiam, aut victricem delectationem*, vocationem congruam, quæ semper et infallibiliter consequitur effectum, et ideo, si in illuminatione consistit, potest dici *certa*, quia semper hominem certiore reddit, etiamsi in se fortasse intensior aut clarior non sit, et si in delectatione consistit, dici potest *victricis* delectatio, quia semper vincit, etiamsi fortasse major in sua entitate non sit. Unde dici etiam potest quod, licet in uno præcedat major aliqua attentio, vel affectio, seu delectatio, illa inæqualitas non provenit ex sola excitante gratia, sed adjuncto usu libertatis, ut in superiori puncto explicuimus.

#### CAPUT XLIX.

DUBIUM APPENDIX DE CONCORDIA GRATIÆ EFFICACIS CUM GRATUITA ET EFFICACI ELECTIONE AC PRÆDESTINATIONE SALVANDORUM OMNIUM, ET CUM DIVINA PROVIDENTIA AC PRÆDEFINITIONE ACTUUM LIBERORUM HUMANÆ VOLUNTATIS.

1. *Summa capitis.* — Cogimur in hoc capite explicare concordiam efficacis gratiæ prout a nobis declarata est, cum divina electione prædestinatorum, præfinitione actuum liberorum, et in universum cum perfectione divinæ providentiæ; tum quia hæc omnia ita sunt cum gratia connexa, ut non possit sine compositione illorum inter se doctrina hæc consummari; tum maxime quia defensores physicæ prædeterminationis existimant vera dogmata de illis omnibus sine tali genere prædeterminantis auxilii non posse consistere, et ideo non solum nobis objiciunt, sed etiam tribuunt multa quæ, iudicio illorum, vel absurda, vel etiam erronea sunt, quia ex nostra

sententia sequi contendunt. Proponemus ergo sigillatim objectiones eorum, et occasione illarum, veram concordiam in illis omnibus, quæ proposuimus, ostendemus.

2. *Obiectio prima, de electione gratuita prædestinatorum ad gloriam.* — Prima obiectio sumitur ex electione gratuita prædestinatorum ad gloriam. Supponunt enim, ex sententia Augustini et D. Thomæ, necessarium esse confiteri Deum in æternitate sua, ante præscientiam omnium meritorum, absoluto et immutabili decreto, statuisse tot et talibus hominibus æternam beatitudinem conferre in tali gradu et perfectione, et non pluribus neque paucioribus, quod decretum vel electio gratuita prædestinatorum vocatur. Ablata igitur necessitate prædeterminationis physicæ, et posita efficacitate gratiæ, dependente aliquo modo a cooperatione liberi arbitrii, sequi necessario existimant discretionem inter electos et non electos, non ex Deo, sed ex hominibus esse sumendam, ac proinde tolli electionem gratuitam ex parte Dei. Unde quidam illorum patrum, ex nostra sententia intulit non Deum eligere homines, sed potius homines eligere Deum, contra illud: *Non vos me elegistis, sed ego elegeri vos*, Joan 15. Probatur sequela, primo, quia ita Deus ordinavit prædestinatos ad gloriam, ut per actus liberos illam adipiscantur; sed, juxta nostram sententiam, decretum Dei efficax et antecedens repugnat libertati; ergo, juxta nostram sententiam, non potuit in Deo talis electio seu decretum præcedere. Vel secundo, ut Deus habeat tale decretum, necesse est ut sola sua virtute possit efficaciter determinare homines ut salvari velint et media salutis implere per actus liberos; sed, juxta nostram sententiam, Deus non habet talem potestatem, quia sine auxilio prædeterminante non potest esse talis efficacia quæ sufficiat ad certitudinem dictæ electionis, et nos negamus tale genus auxilii; ergo. Quod si respondeamus, posita præscientia conditionata, posse consistere sufficientem mediorum efficaciam et certitudinem sine prædeterminatione, contra hoc insurgunt, primo, impugnando scientiam conditionatam et certitudinem ejus, nisi fundatur in antecedente decreto. Secundo, inferendo eo ipso sequi, electionem ad gloriam non esse ante omnem præscientiam meritorum, ac proinde non esse omnino gratuitam, quia non elegit hunc potius quam illum, nisi quia novit hunc fuisse consensurum vocationi, et non illum, et ita in tempore non ideo Deus trahet hominem, quia

elegit eum in æternitate, sed potius, quia prævidit hominem fore eligentem Deum tali tempore, elegit illum ex æternitate. Tertio, similiter inferunt numerum salvandorum non esse certum in divina electione, et vocatione, et in præscientia, quod etiam repugnat gratiæ electioni.

3. *Obiectio secunda, de actibus liberis.* — Secunda obiectio huic similis est, quia sequitur, ex nostra sententia, Deum non prædefinire actus liberos, quia si illos prædefiniret, illa præfinitio esset suppositio antecedens, ut illa particula *præ* denotat, et ita tolleretur libertatem, juxta nostra principia. Et confirmatur hæc obiectio, quia juxta illam sequitur consequenter actus liberos evenire præter intentionem Dei, quod multum derogat perfectioni divinæ providentiæ. Sequela probatur, quia intentio dicit decretum absolutum ac præfinitum voluntatis; sed Deus non habet tale decretum circa actus liberos, qui de facto eveniunt; ergo præter intentionem Dei eveniunt.

4. *Obiectio tertia, de providentia.* — Tertia obiectio est, quia sequitur Deum non habere perfectam providentiam omnium effectuum causarum secundarum in particulari; quod est absurdum, ut per se constat. Sequela patet, quia providentia dicit rationem prædisponentem de futuris eventibus; ergo perfecta providentia postulat perfectam dispositionem omnium in particulari, absolute statuendo quid in singulis momentis et actibus omnis causa secunda factura sit, quod non fit sine absoluta omnium prædefinitione; ergo, ablata hujusmodi prædefinitione, aufertur perfecta providentia. Et confirmatur, quia, sine tali providentia, non est perfecta gubernatio, quia hæc in eo posita est, quod Deus, tanquam supremus Dominus, utatur omnibus causis secundis et omnibus voluntatibus, applicando illas quo voluerit, et ubi, quando, et quomodo voluerit, qui usus non potest esse sine universali præfinitione. Assumptum patet, quia dominium est potestas utendi, unde in usu perfecto ostenditur plenitudo domini; usus autem est applicatio potentiæ ad opus, ex D. Thoma 1. 2, quæst. 16; ergo, si Deus non applicat inferiores causas, et præsertim voluntates humanas ad suas operationes, non perfecte utitur illis; ergo neque perfecte eas gubernat, et consequenter neque perfecte eis providet, quia gubernatio est effectus providentiæ.

5. *Obiectio quarta, de perfectione providentiæ circa peccata.* — Quarto, specialiter objicitur de perfectione providentiæ circa peccata,

non solum ut actus sunt, sed etiam ut peccata sunt; neutro enim modo salvatur perfecta Dei providentia circa illa, juxta nostram sententiam. Prior pars probatur, quia actus peccatorum, juxta nostram sententiam, non præfinitur a Deo; ergo neque intenduntur ab ipso; ergo fiunt præter intentionem Dei, et sine ipsius voluntate, quod est contra perfectionem providentiæ. Altera pars probatur, quia, licet peccata, ut peccata, solum permittantur a Deo, tanta vero sapientia illa permittit, ut illis non minus utatur ad fines suæ providentiæ, quam si illa ordinaret, ut videre licet in peccato crucifigentium Christum, et in peccato fratrum qui Josephum Ægyptiis venderunt, et similibus; hoc autem tam excellens providentiæ genus non potest consistere sine præfinitione talium actuum, quia permissio pure spectata relinquit voluntatem omnino indifferentem sine ulla determinatione; ergo per se sola, si non fundetur in aliqua præfinitione, non potest esse medium certum ad aliquem finem. Unde confirmatur, quia quod Deus permittit, infallibiliter evenit, ut in induratis contingit, juxta illud: *Nemo potest corrigere quem tu ipse desperaveris*. At hoc intelligi non potest sine præfinitione; ergo.

6. *Difficultates objectionum.* — Punctum primum, de efficaci electione prædestinatorum. — Hæ objectiones duas præcipue attingunt difficultates; una est de ordine prædeterminationis quoad gratuitam electionem, in qua prædestinatio vel consistit vel fundatur; alia est de præfinitione actuum liberorum. Et hæc duo pendunt ex alio puncto, an, scilicet, in divina voluntate ordo intentionis et executionis distinguendi sint. Quæ tria breviter attingam, propter hujus materiæ complementum, nam in 1 part., et in lib. de Auxil., latius hæc disputata sunt. In primo ergo puncto, antiqua et celebris opinio Theologorum fuit, Deum peculiari actu, et proposito absoluto voluntatis suæ, ita dilexisse omnes homines, qui salvandi sunt, ut, ante omnia bona et mala merita omnium parium hominum prævisa, a cæteris non salvandis discreverit, et ad æternam gloriam infallibiliter consequendam destinaverit: postea vero docti aliqui moderni, licet hunc actum gratiæ electionis divinæ prædestinatorum ad gloriam non negaverint, dixerunt tamen non esse priorem, etiam ratione, voluntate dandi, et constituendi prædestinatos in tali ordine rerum, in quo infallibiliter talia haberent merita, per quæ tantam gloriam consequerentur. Quam opinionem secu-

tus est Molina in Concordia, quæst. 23, art. 1 et 2, disp. 2, § *Præterea*, et art. 3, disput. 1, memb. 8, qui non differt ab antiqua opinione in asserenda gratuita electione prædestinatorum ante merita absolute prævisa, sed solum in explicanda illa per signa prioris et posterioris secundum rationem; hæc enim ipse negat. Neque in hoc nova est ejus opinio; nobis tamen non videtur necessaria, neque apta ad explicandos nostro modo effectus et causas prædestinationis. Sed, quia hoc ad præsens non refert, sufficient nobis alibi dicta, cum his quæ statim dicemus.

7. Deinceps vero P. Vasquez, 1 p., disp. 89, a cap. 6, licet signa rationis in actibus divinæ voluntatis non neget, nihilominus latissime persuadere conatus est non habuisse Deum, ante prævisa salvandorum merita, absolutum actum voluntatis dandi illis gloriam. Non abstulit autem omnem præviam intentionem dandi eis gloriam, quæ esset finis meritorum, et gratiæ quam illis dare decrevit; sed dicit illam intentionem non fuisse per efficacem decretum voluntatis Dei, sed per simplicem affectum, quem alii velleitatem, alii conditionatam voluntatem, alii voluntatem antecedentem appellat. Nam hunc saltem actum reputavit necessarium, ut Deus perfectam providentiam gratiæ haberet, illam ad debitum finem ordinando, quod sine aliquo actu circa eundem finem intelligi non poterat. Negat tamen illum actum esse absolutum et efficacem, quia putat repugnare libertati humanæ, et derogare meritis gloriæ, et propter alias rationes quas latissime prosequitur, multa etiam Patrum, et præsertim Augustini testimonia congerendo. Et ideo in eadem 1 part., disp. 82, cap. 3, cum doceat in voluntate Dei ordinem intentionis esse priorem ordine executionis, limitationem adhibet, quia, cum finis consequendus est per media moralia, ut sunt merita, intentio finis non potest esse efficax, sed per simplicem tantum affectum.

8. Tandem noviores quidam Theologi eo progressi sunt, ut non solum negent habuisse Deum, ante prævisa merita, efficacem voluntatem dandi prædestinatis gloriam, verum etiam doceant nullo actu vel affectu voluisse Deum dare aut ordinare illos ad beatitudinem consequendam, directe intendendo illorum beatitudinem, ut finem, prius ratione quam voluerit eis dare merita quæ in tempore contulit, quibus prævisis voluit efficaciter gloriam eis propter merita tribuere. Fundantur, quia in divina voluntate nullus est ordo intentionis,

sed executionis tantum. Unde P. Vasquez reprehendunt, eo quod non fuerit consequenter locutus. De me autem aiunt futilibus argumentis motum esse ad illos duos ordines intentionis et electionis in divina voluntate universe distinguendos; fundamentum autem propter quod ipsi illos negant, est, quia putant Deum constitui volentem libere creaturam, non per solam suam voluntatem, essentiam, seu entitatem, sed simul cum ipsa creatura volita, quæ est terminus illius voluntatis divinæ, cum quo ipsa non necessaria constituitur.

9. *Corollarium.* — Quo fundamento posito, sic colligunt: creatura non potest concurrere suo modo ad constituendum Deum volentem, nisi accipiat entitatem aut esse actuale, per ipsamet voluntatem per quam dicitur volita, quia solum sub illo statu non habet necessariam connexionem cum libera Dei voluntate; nam sub esse possibile, vel nullam connexionem habet, quia non amatur; vel, si quam habet, illa est necessaria quoad aliquam complacentiam, juxta varias opiniones. At vero creatura non accipit entitatem vel esse actuale, nisi per voluntatem exequentem Dei; ergo non potest intelligi Deus volens libere creaturam, nisi per voluntatem exequentem; ergo nec potest intelligi in voluntate divina ordo intentionis distinctus, etiam ratione, ab ordine executionis. Unde consequenter inferunt quod, licet in actibus voluntatis Dei assignari possint signa rationis, illa sola sunt cogitanda in ordine executionis, ita ut illud sit volitum prius quod in re futurum est prius executione, seu quod est alterius causa, ad eum modum quo solet medium in executione esse causa finis. Ex quo tandem concludunt non dari in voluntate divina, circa prædestinatos, præviam intentionem liberam dandi eis gloriam, sed solum voluntatem exequentem, in qua prius intelligitur voluntas vocandi quam justificandi, et justificandi quam glorificandi.

10. *Punctum tertium de gratuita electione prædestinatorum.* — Ostenditur ordo intentionis. — Nihilominus in hoc primo puncto, de efficaci electione prædestinatorum, quæ ordine intentionis præcedat eorum merita prævisa, opinio affirmans, quæ D. Thomæ et communis Theologorum est, et Augustini etiam esse opinor, mihi semper placuit. Ut autem illam breviter proponam, a tertio puncto inchoandum est, in quo communis sententia Theologorum omnino præferenda est, quam non futilibus argumentis, sed solidis rationibus fundatam esse

certo credimus. Est autem communis sententia, in divina voluntate, non tantum executionis, sed etiam intentionis ordinem reperiri, et a nobis considerandum esse. In hoc autem puncto duo includuntur: unum est, in divina voluntate utrumque ordinem intentionis et executionis vere et proprie reperiri; aliud est, inter illos ordines esse distinctionem aliquam rationis, et consequenter in eis actus ratione distinctos cum ordine prioris et posterioris in variis rationis signis spectari posse. Primum est præcipue intentum et ante omnia probandum; inde vero inferemus aliud, quia, licet in hoc non sit tanta concordia inter Theologos, neque res sit tanti momenti, quia in modo potius intelligendi et concipiendi nostro, quam in re ipsa consistit, nihilominus recte de illis signis sentire et loqui, ad rem melius intelligendam et explicandam, non parum professe potest, ut in discursu dicemus. Nunc ergo, per dictos ordines, solum intelligimus actus ipsos pertinentes ad ordines ipsos intentionis et executionis, secundum formales rationes eorum, semotis imperfectionibus, quales sunt distinctio actualis quæ in re sit inter tales actus ratio causalitatis inter eos, et prioritas temporis vel naturæ, quibus ablati, optime concipimus eundem actum esse posse veram intentionem unius rei, ut finis, et electionem alterius, ut medii ad illam, sicut intelligimus posse amari unam rem ut honestam, et aliam tantum ut utilem, sive illi amores sint re, sive ratione distincti, sive hunc, sive illum ordinem inter se servant. In hoc ergo sensu dicimus in Deo esse ordinem intentionis, quia in voluntate divina est vera intentio unius rei ut finis, et electio alterius rei ut medii ad illam. Et sententiam sic explicatam credimus esse communem Theologorum, præsertim D. Thomæ, et Scholasticorum, et Augustini. Quia vero de ordine executionis nulla est quæstio, ordinem intentionis præcipue ostendemus, et quia Theologi et Augustinus maxime hoc attingunt, tractantes de divina prædestinatione et gratia, ideo principale punctum hic intentum, de gratuita electione prædestinatorum ad gloriam, comprobabimus.

11. *Probatur gratuita electio prædestinatorum ad gloriam.* — Primo ergo sumitur prima sententia satis aperte ex divo Thoma, 1 part., quæst. 22, artic. 1, ubi docet providentiam esse rationem ordinis rerum in finem, utique intentum ab ordinante et providente. Unde addit in solut. ad 3, quod *providentia est in intellectu, sed supponit voluntatem finis; nul-*

*lus enim præcipit de agendis propter finem, nisi velit finem.* Ex hoc principio, in q. 23, artic. 4, probat, ad prædestinationem, prout est in intellectu, supponi in voluntate Dei dilectionem, seu electionem, quia: *Prædestinatio aliquorum (inquit) ad salutem æternam præsupponit, secundum rationem, quod Deus illorum velit salutem, utique ut intentionem finis, respectu mediorum prædestinationis.* Et in art. 7, hanc intentionem vocat *principalem præfinitionem*, per quam Deus intendit certum numerum salvandorum, *quia omne agens (inquit) intendit determinatam mensuram in suo effectu.* Eundem intentionis ordinem supponit D. Thomas in 1. 2, quæst. 112, art. 3, cum inquit: *Si ex intentione Dei movens est quod homo, cujus cor movet, gratiam consequatur, infallibiliter illam consequitur.* Nam in his verbis ordo intentionis evidenter continetur, supponunt enim in Deo intentionem dandi gratiam, et ab illa procedere motionem, quæ infallibiliter habeat effectum.

12. Præterea, idem D. Thomas, lib. 1 contra gent., cap. 86, ex professo docet dari rationem divinæ voluntatis, eo modo quo finis est ratio volendi ea quæ sunt ad finem. Et sic in ratione prima, dicit Deum velle bonitatem suam tanquam finem, et cætera ut media, juxta illud Proverb. 16: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* In ratione autem secunda, dicit, etiam inter bona creata, unum ordinari a Deo ad aliud ut in finem, et sic cadere sub divinam voluntatem; et in ratione 3 dicit, supposito quod Deus aliquid vult, necessario velle quæ ad illud requiruntur. Quæ omnia evidentissime pertinent ad ordinem intentionis, neque sine illo intelligi possunt. Unde, licet de modo loquendi sit alia controversia inter Theologos, an sit dicendum Deum velle unum, quia vult aliud, vel velle unum propter aliud; item, an unum objectum creatum sit Deo ratio volendi, aliud per modum finis, vel sola sua bonitas sit finis propter quem vult omnia creata ut media ad gloriam suam, nihilominus omnes in hoc conveniunt, quod in Deo est intentio finis et electio mediorum, et, quia inter media unum est propinquius fini quam aliud, ideo interea velle unum propter aliud, ut videre licet in Cajetano, 1 part., quæstion. 19, artic. 5; Ferrariens., 1 contr. gent., cap. 86 et 87; Capreol., in 3, distinct. 1, quæst. unic., artic. 3, ad argumenta contra primam conclusionem, ubi, in solut. ad 3, expresse distinguit in mente Dei ordinem intentionis ab ordine executionis, et

illum dicit esse priorem ratione, ex parte ob-  
jectorum.

13. *Distinguit Corduba in Deo duas voluntates dandi gloriam prædestinatis.* — Eadem est sententia Scoti in 1, distinct. 41, et in 3, dist. 7, quæst. 3, distinct. 19, ubi Lycherus et alii explicant et sequuntur, et Corduba, l. 1, quæst. 56, opinion. 5, in secunda ejus parte, ubi, inter alia, expresse distinguit in Deo duas voluntates dandi gloriam prædestinatis: aliam, ante prævisa merita; aliam, post meritorum prævisionem, et hanc dicit esse voluntatem executionis, illam intentionis. Denique omnes alii antiqui hanc doctrinam supponunt, dum de Christi vel nostra prædestinatione disputant, ut videri potest in Durand., in 1, distinct. 41; Bonaventur., in 3, distinct. 1, art. 2, quæst. 1, et aliis ibi; et Alens., 3 part., quæst. 2, memb. 13. Eandem sententiam sequitur Bellarmin., lib. 2 de Grat. et liber. arbitr., capit. 17. Et illam supponit Valentia, qui falso in contrarium allegatur. Nam in 1 tom., disput. 1, quæst. 19, punct. 5, § *Ex his assertionibus*, expresse dicit Deum prius voluisse beatitudinem Petri quam ejus merita, in genere causæ finalis; prius autem voluisse merita quam beatitudinem in genere causæ moralis, seu dispositivæ, per quæ duo explicat aperte ordinem intentionis. Et in secunda assertionem, ex locutionibus Scripturæ probat Deum vere et cum omni proprietate operari propter finem, ac subinde esse in voluntate ejus ordinem intentionis, qui per particulam *propter*, vel *ut*, solet frequenter in Scripturis indicari. Et in 4 tom., disp. 1, punct. 7, in toto illius discursu, illam distinctionem supponit. In § autem *Neque vero*, et sequenti, referens illam distinctionem de ordine intentionis et executionis, non refutat illam, sed supponit potius, et addit, ad rem de qua ibi tractat *intempèstivè applicari*, quod nostra nunc non refert. Ait etiam, quidquid est posterius in intentionis ordine, semper fieri in executione propter illud quod est in intentione prius, quod est verissimum; per hoc autem non confunduntur, sed distinguuntur aperte ordines prædicti.

14. *Comprobatur dictorum veritas ex Scriptura.* — Possumus præterea veritatem hanc ex sacra Scriptura et Patribus confirmare, quatenus eodem modo loquuntur de Deo, ut agente propter finem, et intendente finem, et eligente media, sicut de hominibus; et ad id explicandum modo hominibus accommodato, Deo etiam consilium tribuunt, quod seclusis imperfectionibus, et cum omni proprietate in

his quæ ad perfectionem simpliciter pertinent, ab omnibus intelligitur. Sic dicitur ad Ephes. 1: *Elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem, ut essemus sancti.* Ubi particula *ut* finem denotat: et ideo a Hieronymo ibi, et Augustino frequenter ponderatur, non dixisse Paulum, *quia futuri eramus sancti*, quod ad ordinem executionis pertinuisset, sed, *ut essemus sancti*, quod pertinet ad ordinem finis et intentionis. Unde infra Paulus: *Sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, ut simus in laudem gloriæ ejus.* Et in eodem sensu dicit cap. 2: *Creati in operibus bonis in Christo Jesu, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Illa etiam voluntas, qua vult Deus omnes homines salvos fieri, nullo modo potest esse nisi per modum cujusdam intentionis, qua Deus vult hominibus salutem, et ex vi cujus præparat omnibus media aliquo modo sufficientia ut illam consequi possint. Cui simile est illud Luc. 13: *Quoties volui congregare filios tuos, et noluisti?* Hæc enim et similia non metaphorice interpretanda sunt, cum non sit necessarium, et proprietas verborum tenenda sit. Per ea ergo significatur voluntas Dei antecedens, qua de se tale bonum intendit, et ex vi illius confert media quæ ex hominum malitia effectu suo frustrantur.

15. *Intentio in electis absoluta, et efficax.* — In electis autem intentio est absoluta et efficax, et ex vi illius media congrua et accommodata Deus confert. Et hunc intentionis ordinem variis locutionibus explicavit nobis Augustinus de hac ipsa materia disserens. Ait enim, lib. de Corrept. et Grat., cap. 14: *Cum homines per correptionem in viam justitiæ, seu veniunt, seu revertuntur, quis operatur in cordibus eorum salutem, nisi ille qui, quolibet plantante et rigante, dat incrementum Deus?* Et rationem seu modum declarans, addit: *Cui volenti saluum facere nullum humanum resistit arbitrium*, ac si diceret, vocationem ejus qui sic vocatur, ut convertatur, procedere ex absoluta voluntate Dei salvandi illum, et ideo neminem illi resistere; præcedit ergo, secundum Augustinum, illa divina intentio ad talem executionem. Eandem doctrinam indicavit lib. de Prædestinat. Sanctor., cap. 8, dicens: *Hæc gratia, quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur.* Ecce efficaciam in executione; radicem autem ex ordine intentionis ostendit, addens: *Ideo quippe tribuitur ut cordis duritia primitus auferatur;* et infra: *Sic quippe*

*facit filios promissionis, et vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam, ubi verbum facit, executionem, verbum autem præparavit, intentionem indicat; et similiter in cap. 17, ait: Elegit prædestinatos, ut credant, non quia crediderunt; et infra: Quos prædestinavit, et hos et vocavit, illa scilicet vocatione, secundum propositum.* Quod propositum non est nisi intentio efficax salvandi illos, quam paulo antea vocaverat electionem æternam, dicens: *Elegit eos de mundo, cum hic ageret in carne, sed jam electos in seipso ante mundi constitutionem*, ubi duplicem electionem, æternam et temporalem, indicat. Unde huic æternæ electioni tanquam primæ et efficaci intentioni solet Augustinus tribuere omnem peculiarem curam, quam in executione Deus habet prædestinatorum, ut in cap. 7 de Corrept. et Grat., late et eleganter describit, declarat, et concludit: *Hæc omnia operatur in eis qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui et elegit eos in Filio suo, per electionem gratiæ*, id est, gratuitam, ut notavit Toletus ad Roman., 11 notat., et verba ab eodem Augustino subjuncta declarant: *Quoniam secundum propositum vocati sunt, profecto et electi sunt per electionem, ut dictum est, gratiæ, non præcedentium meritorum suorum.* Unde etiam constat, quoties Augustinus loquitur de vocatione secundum propositum, per propositum intelligere hanc divinam intentionem et electionem, unde subjungit: *Ex istis nullus perit, quoniam omnes electi sunt: electi sunt autem, quia secundum propositum vocati sunt; propositum autem non suum, sed Dei, de quo alibi dicit: Ut secundum electionem propositum Dei maneret.* Et ut tolleretur omne dubium, terminum seu objectum illius electionis declarat, dicens: *Electi sunt autem ad regnandum cum Christo.*

16. *Confirmatur.* — Præterea est, ad hanc rem confirmandam, insigne testimonium Eusebii Pamphili seu Cæsariensis, in disputatione cum Philosopho, de Filii divinitate, quæ refertur in Conc. Niceno, noviter per Alphonsum Pisanum, nostræ Societatis, collectum, et in tom. 1 Conciliorum editum. Ibi enim in lib. 2, paulo ante medium, tractando verba illa Proverbior. 8: *Dominus possedit me*, etc., vel, juxta Septuaginta: *Condidit me initium viarum suarum*, inter alia interrogavit Eusebius Philosophum: *Estne conditus homo propter mundum, an mundus propter hominem?* Respondit autem Philosophus: *Omnino mundus propter hominem;* quam responsionem acceptans, Eusebius subjungit: *Si mundus est propter ho-*

*minem omnino, cum homo prior in Dei proposito, mundus in Dei proposito erit homine ac rationabili sapientia posterior. Igitur si homo prior est mundo, erit prior naturis, quales sunt cælum, terra, dies, nox, nubes, abyssi, fontes, montes et colles; prior erit his sapientia, et homo in Dei proposito jam prior est mundo, sed eundem accidet posterius in via creationis conditum fuisse. Qui autem in divina intentione homine posterior erat, ille in via creationis antecedit. Sed sapientia, quam invenit prudentia filius Dei, quam dedit homini ad imaginem suam, ipsa etiam in divina intentione, mundo et mundi naturis prior fuit.* Et juxta hanc doctrinam et distinctionem, de homine interpretatur illam Salomonis sententiam: *Dominus possedit me initio viarum suarum; possedit utique in proposito, et initium in ordine intentionis.* Confirmatque tandem totum discursum verbis illis Domini: *Sabbatum propter hominem factum est, non homo propter Sabbatum.*

17. Hoc autem testimonium, quantum ad sensum attinet, nullam patitur tergiversationem; voluit enim explicare Eusebius quomodo sapientia creata in homine (de quo locum Salomonis interpretatur), *vocetur initium viarum Domini*, cum in executione fuerit posterior, et ad hoc explicandum, distinguendum ait ordinem intentionis et executionis, et supponit ordinem intentionis esse priorem, et initium respectu inferiorum creaturarum fuisse hominem. Unde dici non potest Eusebium solum distinxisse executionem ad extra, quæ in tempore facta est, a voluntate Dei æterna, per quam in tempore creationem executus est; tum quia expresse dicit hominem fuisse priorem mundo in divino proposito, et e converso mundum fuisse posteriorem in eodem Dei proposito, et deinde hoc propositum declarat per intentionem Dei; tum etiam quia, si in ipsa voluntate æterna Dei non est nisi ordo executionis, non habet in illa res futura alium ordinem, nisi correspondentem ordini executionis, ut adversarii frequenter et consequenter docent. Non potest ergo de sensu illo dubitari, neque ipsi Scholastici expressius et clarius de his ordinibus et signis loquuntur. Deinde considero quod, licet illa sententia ab Eusebio non modicam auctoritatem habeat, longe major illi accrescit ex consortio Patrum, quorum nomine respondebat, ut ibidem dicitur, nam illi saltem tacendo consensisse visi sunt, et ipse Eusebius illam doctrinam, tanquam communem et receptam a Catholicis proponere visus est.